



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

De S. Mochua Sive Cuano Abbate In Hibernia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

Mauri Ruspense territorium populantur.

Succedit ei anno post Felicianus, ipso id e caelis curante Fulgentio.

**ms. Rip. Ponticani.*

repente vexavit, rapinis, caedibus, incendiis multa devastans, atque intra ipsos Ecclesiae parietes, quos invenire potuit, jugulans. Quis Beati Fulgentii gratiam non miretur? Quamdiu vixit, furorem belli civitas illi commissa non sensit: et cum tota pene provincia captivitatem sustineret horribilem, Ruspa fuit incolumis propter Sacerdotem venerabilem, cujus vita propriis civibus murus fuit.

75 Ne hoc interim praeterendum silentio judicavi, quod dum ei successor idoneus quaereretur, discordantibus laicis et Clericis, annum prope integrum prolixitas contentionis exegit, ut illa die sanctitas Tua super ejus cathedram sederet, quo ipse defunctus est. Ornari quippe hoc privilegio meruit prima solemnitas ejus depositionis, ut multo amplius venerabilis fieret per gaudia Tuae ordinationis. Vis autem nosse, quomodo non fortuitis motibus ista provenerunt, sed illius orationibus demonstrantur esse concessa? Recole visionem fidelissimam Beati Pontiani Episcopi

Thenitani, quam sic ipse narravit: Eunti mihi secundum praecceptum Datiani Primatis, ut Ruspensi Ecclesiae eligeretur Antistes, idem Beatissimus Fulgentius per tempus quietis apparuit, et affabili, sicut solebat, adspectu salutans amicaliter: Quo, inquit, nunc sanctitas tua velociter ambulat? Cui respondit: Ut Episcopus Ruspensi Ecclesiae eligatur. Ille vero subridens: Jam, inquit, ordinatus est. Nonne non apparet ipsius orationibus fuisse perfectum, quod est visitante praedictum? Qui ergo confirmationem noverat necdum electi, vel ordinati, diem quoque, quo in cathedra considerare poterat ordinatus, jam orando meruerat. Votis itaque continuis et fidei devotione semper optamus, ut gloriae illius factus particeps in aeternum, non indignus tanto praedecessore feliciter vivas, operisque hujus de perfectione nobiscum Domino gratias agas, et pro his, quae minus forte dicta sunt eloquenter, ab omnibus sapientibus Lectoribus veniam petas.

PER
EJUS DISCIP.

DE S. MOCHUA SIVE CUANO

ABBATE IN HIBERNIA.

I JAN. S. Mochua 1 Januarii mortuus ab aliis 11 April. coititur.

Sanctam Mochuam sive Cuamum Laegsiensem, quaedam Hibernorum Martyrologia mense Aprili referunt, qui tamen Kalendis Januarii migravit in caelum: quo die et nos ejus Vitam damus, nobis ab R. P. Hugone Vardæo monasterii S. Antonii de Padua Ordinis S. Francisci Lovanii Guardiano communicatam, ex fide dignis Hiberniensibus codicibus descriptam.

2 Multa continet admiranda portenta, sed usitata apud gentem illam simplicem et sanctam, ut ex aliorum actis Sanctorum putet; neque sacris dogmatis aut Dei erga electos suos suavissimae providentiae repugnantia. Sunt tamen fortassis nonnulla imperitorum librorum culpa vitata, aut amplificata. Quod in gentium suorum rebus gestis animadverti oportere nos docuit Henricus Fitzsimon Societatis nostrae Theologus, egregio rerum usu praeditus. Quae tamen sic adjecta censi debeant, nobis profanae Hibernorum historiae ignavis non facile est statuere. Satis est Lectorem monuisse ut cum discretionem ea legat quae prodigiosa, et crebro similia miracula commemorant, nisi ab sapientibus scripta auctoribus sint. Nobis tamen nihil expungere constitutum est nisi rectae fidei aut bonis moribus repugnet, aut sit ejusmodi ut clare id possimus referre.

Sanctorum Hibernorum Vitae mirabiles, prudenter legendae.

VITA

EX VETERIBUS MSS.

CAPUT I.

S. Mochua ex milite monachus.

S. Mochuae patria et genus. Militiansequitur.

Fil monachus.

Villam sibi donatam

Clarus genere vir erat, nomine Mochua, filius Lonani ex Lugne trahens originem. Hic in primæva ætate vir erat multum bellicosus, ac de hostibus suis semper victoriam habens. Triginta annis sic laicaliter vixit, antequam militiam Christi exerceret.

2 Sed expletis triginta illis annis divina inspiratione admonitus et Domini timoris telo percussus ad fidem Christi conversus et monachus factus, Clericalem assumpsit habitum. Cui avunculus suus quamdam villam donavit: quam S. Mochua cum omnibus suis

rebus incendi jussit, ne de peccatoris elemosynis vel possessionibus famulus Christi portionem aliquam haberet. Post hæc vir Dei ad locum, qui hodie Teach-Mochua, quæ principalis scilicet sedes ejus est, divina promissione devenit. Hunc locum ipse in nomine... ædificavit, et multis signis et miraculis adornavit.

incendi jubet.

CAPUT II.

Mochuae miracula. Spiritus superbiae a S. Colmano depulsus. Ignis divinitus accensus.

Inter ejusdem Sancti insignia miracula hoc quod sequitur celebriter commemoratur. Quidam namque nobilis et sapiens Clericus, nomine Colman-Ela, cum quadam die cellam suam apud Glernsen circumiret; tunc de statu suo et corporis pulchritudine et scientiæ suæ profunditate spiritu superbiae inflatus, mundana de se sapiebat. Postquam autem sederet in cubili suo sic elatus, omnem suam scientiam ac si nihil ante scivisset, penitus tradidit oblivioni. Stupescens igitur super hoc et non modicum admirans, nocte sequenti jejunavit, Deum suppliciter exorans, ut a se spiritum ignorantiae dignaretur tollere, et pristinam scientiam restituere. Cui Angelus in somnis apparens ait: Colmane, cur jejunas? quid petis ut tibi det Deus? Respondit Colmanus: Peto ut mihi scientia, quam ante habui, a Deo restituatur. Et ait Angelus: Id quod quaeris, inquit, habebis. Et Colmanus: Cui, inquit, commisit Deus mei curam? Et Angelus: Vade, inquit, ad S. Mochua, qui te de tua superbia et ignorantia liberabit.

Claret miraculis.

S. Colman-Ela de sua doctrina superbiens ea privatur.

4 Colmanus igitur cum quindecim aliis honestis Clericis iter aggrediens, ad cellam viri Dei recto itinere pervenit. Sanctum vero Mochua rusticano habitu indutum, virgasque portantem in humeris suis, extra villam invenit. Colmanum vero intuens Sanctus Mochua ipsum salutavit: dumque mutuo sic salutassent, ecce subito quaedam avicula virgarum illarum summitati insidens, garriendo quasi unum versum cecinit. Quo audito S. Mochua interrogavit quid avicula illa cecinisset. Cui Colmanus se nescire respondit. S. Mochua

Militar ad S. Mochuam.

Ex mss.

chua dixit : Mira refers, dum ego qui nunquam novi scripturas, id quod cecinit intelligo. Et iterum ait : Hoc, inquit, dicit avis : Nullum verbum de scientia, quam tu habuisti, menti tuæ nunc inhæret. Tum Colmanus dixit : Fateor, inquit, me nihil scire, et ideo Deus me misit ad te ut saner. Tunc S. Mochua ait : Spiritus immundus, qui in te habitat, exeat a te. Sic enim concessum est ei ad tempus in te habitare. Illico audito viri Dei imperio, daemon a Colmano discessit, ac sua scientia plenarie est ei restituta. Ipso enim elationis suæ culpam recognoscente, atque lumine gratiæ cor illustrante, princeps tenebrarum effugatus est.

*Mochua
dæmonem ab
eo expellit,
sicque usum
doctrinæ
restituit.*

*Ignis cœlitus
accenditur
ejus precibus.*

NOT. 9.

3 Tunc hoc miraculo ostenso S. Mochua Colmanum cum suis ad cellam suam perduxit, et ut ignis et balneum ad eos portaretur a suis, præcepit : cui quidam de Clericis S. Colmani ait : Non igne, inquit, terreno soliti sumus caleferi, nec balneum nostrum cum eo præparari consuevit. Quo audito S. Mochua palmas mundas suas ad cælum extendens, ignem de cælo petivit, et exaudita est oratio ejus, quia lapis ignitus de cælo lapsus per cacumen domus, ubi erat, in foco cecidit. ex quo copiosus ignis pro necessitatibus fratrum est constructus.

CAPUT III.

*S. Fintani superbia lepra castigatur.
Eam Mochua depellit.*

*S. Munno sive
Fintano appa-
ret quotidie
Angelus.
Colitur
Munnu
21 Octobris.
S. Moluæ ani-
mam migra-
turam nulli
Angeli expe-
ctant.*

Quodam alio tempore vir sanctus, Munno nomine, dum in cella sua triduo moram faceret, Angelica visione, qua quotidie visitabatur, per idem tempus frustrabatur. Cumque Angelus Domini post triduum se viro Dei præsentaret, et ab eo cur tantam moram faceret sciscitaretur, respondit : Sancti, inquit, cælicolæ communem conventum atque concilium habuerunt, expectantes animam cujusdam viri sancti, nomine a Molua, qui viam universæ carnis ingressurus erat : et hæc causa retardationis meæ fuit ne da te tempore solito venirem. Ad quem S. Munno dixit : In quibus, inquit, meritis vir ille præcallebat vitam meam, dum sic sim neglectus? Cui Angelus respondit : Faciebat, inquit, dum vixit, quod tu non facis, quia quamdiu vitam duxit in terris, nulli præsentem maledixit, nec absentem unquam detraxit. Insuper et dispositionem omnium temporis secundum divinam voluntatem sive in serenitate sive in tempestate æquanimiter sustinuit, et commendavit. Tu quoque superbus es, et Dominus tuus vult ut humiliaris. Cui S. Munno respondit : Libenter sufferam si quod ipse elegero a Deo meo mihi concedatur. Cui Angelus : Quod petis a Deo tibi concessum est. Tunc ait Munno : Leporam mihi inter infirmitates corporales eligo. Per verbum ergo Angeli S. Munno leprosus factus est, et lepram illam usque ad septem annos sustinuit.

*S. Munnu
petit sibi
lepram a Deo
immitteri, et
impetrat.*

*Mittitur ad
S. Mochuam
curandus.*

*Insignis ejus
patiendi
ardor.*

*Ab Angelis
honoratur.*

7 Completis vero septem illis annis cum magna animi patientia, ecce idem Angelus ad eum rediens virum Dei consolatus est dicens : Quia, inquit, patienter tuam infirmitatem hucusque sustinuisti, ideo modo a Deo tuo concessum est tibi et finem laboribus imponere et munditiam a lepra tua obtinere. Ad quem iterum S. Munno ait : Cui, inquit, commisit Dominus curam sanitatis meæ recuperandæ? Et Angelus ad eum : Sancto Mochua, inquit. His dictis S. Munno iter arripuit, et ad cellam viri Dei properavit. Cumque ad locum Sancti Mochua pervenisset, diversorium inibi introivit, et domum ingrediens, et neminem ibi reperiens, sed nudum vestibulum; pelliculam quandam, quam ibi invenit, sibi supposuit, et super eam cubans vermes, qui de ejus corpore per pavementum transibant, cum scopâ quadam ad se recolligebat, et in locum unde exierat remittebat. Cumque S. Mochua tunc absens foret, spiritu ei revelante ad cellam accelerans, Angelicam administrationem supra do-

num in qua vir Dei sedebat, aspiciens, ministrum qui eum comitabatur ad videndum quis domi foret sine mora præmisit : cumque domum intrasset, cernens hominem calvum, leprosum, ulcerosis plagis horribilem, pavore attonitus, et stupescens de domo festinans, illum quem in domo viderat Sancto Mochua nuntiando descriperat. Audiens vir Dei hominis descriptionem, et intelligens eum esse Sanctum Munnum ait : Vere, inquit, vir Dei Munnu est, qui a Deo ad me missus est ut a lepra sua curetur. Tunc domum intrans virum Dei amplexatus est, et a vertice capitis lingua eum lambens pristinae sanitati eum restituit : et quod ceteris difficilium erat, nares ejus emungens tribus vicibus successive ore sacro sumens tria extraxit phlegmata, sed meritis utriusque, ut reor, hæc tria phlegmata conversa sunt in tria auri obrizi talenta, quæ in ejus scrinio velut tria aurea poma recondita sunt. Postquam vir Dei mirifice sic fuit curatus, ad cellam suam laudans Deum suum reversus est. Postquam vero B. Munnu jam a lepra curatus est, cum ad medium pervenisset iter pes alicujus equi, qui currum ejus ferebat, fractus est : quod cum S. Mochua percipisset, cervum de monte vicino vocavit, qui se sponte curru subiciens, mansueti equi ministerium implens, vir Dei Munnu ad domum suam prospere ductus est.

*S. Mochua le-
prosum lam-
bil, et mucum
narium exsu-
git : qui in
aurum
mutatur.*

*Cervus jussu
S. Mochuæ
equi vices
supplet.*

a Alias Luanus, quem centum Monasteriorum Fundatorem memorat S. Bernardus in Vita Malachie, colitur 2 Aug.

NOT. 10.

CAPUT IV.

*Serenitas et fluminis trajectio miraculosa,
Mochuæ precibus.*

Interea sanctissimus vir Kienanus cum furore spiritus ecclesiam cœpit Domino ædificare lapideam, quia ante in Hibernia non fuit usus construendi ex lapidibus Ecclesias. Eo quoque tempore contigit opus quoddam retardari atque impediri eo quod cæmentarii ceterique operarii dicebant, quod si pluvia vel imber inter duos colles circumpositos unquam diffunderet, illi mox ab eo desisterent : quo audito Sanctus Kienanus singulos Hiberniæ Sanctas quæ adiens rogabat ut aeris serenitatem a Deo pro complendo opere impetrarent. Cumque a singulis aliquod tempus serenitatis, utpote septimanam ab uno, mensem ab alio, et tres menses ab alio obtineret, et adhuc ad opus completum unius anni indigeret spatio; quadam nocte vir Dei jejunans Deum rogavit ut sibi revelaret ad quem Sanctorum se pro anno illo obtinendo converteret : et qui revelat mysteria, eum docuit ut ad cellam Sancti Mochuæ, quæ Domus Mochua modo dicitur, properaret pro obtinenda sua petitione : et cum illuc cum decem quinque Clericis veniret, honorifice est receptus et quod petierat adeptus est. Nam orante Sancto Mochua et jejunante, a datore superno serenitatem unius anni cum dimidio pro complendo opere illo obtinuit.

*Prima Eccle-
sia lapidea in
Hibernia.*

*Ad id opus
impetrata
divinitus serene-
ritas.*

9 Hoc igitur dono concesso S. Mochua Kyananum rogavit, ut opere illo completo nuntiaretur ei ut ad consecrationem ecclesiæ veniret, et ad primæ noctis procuracionem superventuris annonam provideret. His quoque peractis S. Mochua duxit B. Kienanum cum suis usque ad flumen cui nomen est Lynchorchaygi, quæ est aqua valde impetiosa pro tempore. Cumque aquam illam violentam ac rapidam Clerici cernerent, pro tempore illo immeabilem sine scapha judicaverunt; tunc S. Mochua pallium suum in virtute illius qui in pallio Eliæ desiccavit aquas Jordanis, misit super aquas, et in eo S. Kienanum cum suis quindecim discipulis ultra flumen tanquam in rate tutissima transvexit. Sancto igitur Kyanano cum suis ad cellam suam properantibus, pallium latum charitatis S. Mochua, non complicatum in aliquo, nec humefactum, ad ipsum reversum est.

*Mochua
Kienanum
cum 15 Cleri-
cis in pallio
ultra torrentem
transmit-
tit.*

NOT. 11.

CAPUT

CAPUT V.

Cervi caesi ac comesti, vitæ restituti, Mochuæ meritis.

12 cervos
lignis onustos
adducit.

Eorum carni-
bus multos
satiat.

Dei virtute eos
vivos inte-
grosgue resti-
tuit.

Cervi illi
diutissime
vivere.

Completo ergo Sancti Kyenani opere ad Sanctum Mochua nuntium misit, ut ad suam ecclesiam consecrandam, sicut promiserat, perveniret: Tunc audito nuntio sanctus vir iter arripiens, ac per montem cui nomen Maigr transitum faciens, duodecim cervos, quos ibi reperit, secum tamquam boves domesticos ducens singulos lignis oneravit, ac sic ad Ecclesiam S. Kyenani perduxit. Cumque ligna de cervis deponerentur super eosdem jussit vir Dei aquam ad carnes eorum coquendas deferri. Quod et factum est. Post hæc S. Mochua jussit cervos illos occidi omnes, ossa tamen eorum usque in crastinum illibate conservari: Satiatis igitur turbis pauperum atque aliis qui aderant de venatione mirabili Sancti Mochuæ, die crastina cervorum ossa coram viris Dei collecta sunt. Quibus ut in propria resurgent forma Sanctus Mochua in virtute illius mandavit, qui Lazarum foetentem solo verbo ad vitam revocavit. Et statim ossa illa arida carnem et pellem induerunt, et spiritum vivificum assumunt, atque in pristini vigoris motum membra extendunt. His in laudem Dei peractis atque ipsa ecclesia consecrata S. Mochua cum cervis illis mirifice resuscitatis usque ad montem unde eos assumpsit regressus est: atque ibidem eos dimitens ad cellam suam pervenit: et hi cervi duodecim, ut a pluribus fertur, adhuc in monte illo ab aliquibus cernuntur temporibus.

CAPUT VI.

Mochuæ ædificia, mors.

EX MSS.

Sanctus vero Confessor Christi Mochua in præfata ecclesia, quæ Teach-Mochua dicitur, stabiliter permanens, fundatis ab eo in Hibernia 30 ecclesiis, et centum viginti cellis constructis; terrena gloria et amicorum frequentia et colloquio disturbatus secum deliberando, arbitrans quod nisi terrestrem illam gloriam reliquisset, cælestis gloriæ particeps minime fieret, desertum ergo petens ad S. Patricium versus Aquilonarem terræ plagam gressum direxit.

Multas eccle-
sias et cellas
ædificat.

Gloriam vitæ.

12 Sed multis locis peragratis, in quibus si desuper esset concessum permanere vellet, tandem in Ergithiallensium terram divino nutu devenit. Perillustrata quoque terra illa, postremo divina dispositione ad locum quemdam vocabulo Dayrinis pervenit. In hoc loco cum longævus viator campanulam, quam manu gerebat, pulsabat, mox lingua ejus in terram cecidit. Quo viso vir Dei non modicum doluit, eo quod locus momentaneus et quasi inhabitabilis esset. Ad ipsius vero consolationem Angelus ad eum missus est, qui dixit ei: Dictum est tibi a Domino Deo tuo, ut hunc locum inhabites, et ibidem ecclesiam construas. Jussioni quoque divinæ ipse per omnia se conformans, locum illum inhabitavit, et ibidem ecclesiam in nomine Domini ædificavit, quam et plurimis miraculis in vita et in morte decoravit. Ipse vero ibidem triginta annis persistens anno vitæ suæ nonagesimo nono, Kalendis Januarii feliciter quievit, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui laus et imperium per infinita sæcula. Amen.

Peregre eccle-
siam ædificat.

Moritur
1 Januar.

DE S. MOCHUA BALLENSI

SIVE

CRONANO.

I JAN.

S. Mochua
Ballensis discipulus
S. Congalli.

Vita unde
descripta, et a
quo versa.

Alterum Mochuam celebrat Philippus Osullevanus Bearrus, doctrina ac genere clarissimus, Patricianæ suæ Decadis lib. 10, cap. 2, ubi de Benchorensi agit S. Congalli cœnobio, ex quo tum alii viri sanctitate ac doctrina illustres prodire, tum ille Mochua.

2 Ejus vitam ex Hibernico codice, quem quondam Osullevanus Bearriæ Princeps de Divorum Vitis scribi curarat, in Latinum sermonem a se versam, ipse ad me Madrido hoc 1634, Christi anno transmisit Philippus Osullevanus, quam et hic dare visum est, cum ejus natalem ignorem. Quædam de S. Fechini molendino subjecerat, quæ omisi, quod eadem inferius habentur xx Januarii ad ejusdem S. Fechini Vitam.

VITA

EX MSS. INTERPRETE PH. OSULLEVANO.

CAPUT I.

S. Mochuæ genus, vocatio ad religionem, sanctitas.

S. Mochuæ
genus.

Vir sacer Cronanus, Mochua quoque dictus, patre Begano, avo Barra, proavo Natio, abavo Lugo (qui Lugici generis apud Iberos haud obscuri fuit auctor) matreque Comna Conamali filia, Machadani

nepte ex Dalbuanica gente, natus, Brinsacham, Luchadam, et Judellam sorores, duosque natu majores fratres habuit.

2 Ipse puer, capillis ob arearum morbum caput inficientem fluentibus, deformior, proptereaque parentibus minoris factus, et humiliori cultu educatus ad pascendas oves animam appellere jubetur. Ceterum cujus speciem, fortunamque parentes despiciunt, eundem Deus optimus maximus præclarissimarum virtutum ornamentis, edendorumque miraculorum potestate honestat, et ad celsum gloriæ culmen evehit.

Oves pascit.

3 Principio quidem Congallus, vir divino spiritu inflatus, in Begani domum venit, supra quam Angelos conspicit cursitare: rei mysterium divinitus doctus, Beganum, quot filios habeat, percontatur? Hic duos bonæ indolis adolescentes, et alium puerulum (is erat Mochua) non satis dignum, ut nominetur, ovibusque dumtaxat pascendis idoneum judicatum, totidemque puellas sibi liberos esse, respondet. Ille Mochuam domum accersiri jubet: conspicatusque, ex illius conspectu, quod erat divini Numinis donis ornatus, se magnopere delectari, et illum ex ovium custode hominum pastorem futurum, ait. Inde puerum in cœnobium suum Benchorense quam religiosissimum, sanctisque viris longe frequentissimum defert. Ubi Mochua in religiosorum collegium adscriptus, atque sacris litteris eruditus singulare sanctitatis exemplum, rerumque mirabilium opifex fuit.

Angeli supra
domum patris
ejus visi a
Congallo.

Fit religiosus.

4 Longe